

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0130

0128

0134

0124

119

occidentalis jungitur muro aquilonari. Ante hunc angulum
est quaedam altitudo et terrae tumor, in quo ruinae murorum
sunt; ibi etiam quondam stetit turris altissima, quae dicebatur
Phaselus vel Psaefinas Hippicus, a qua fuit prospectus ad
utrumque mare, orientale scilicet, quod est mare mortuum,
et ad mare occidentale, quod est mare nostrum magnum
mediterraneum, ut habet Josephus de bello Judaico l. VI.
cap. 8. De quo tamen miratus sum saepe, cum civitas sancta
ad occidentem habeat montana supereminentia civitati.

Ab hoc ergo angulo vertimus nos contra orientem, et
supra fossata processimus. Ibi vidimus magnam partem anti-
quorum murorum; fuit enim murus duplicatus, ita quod per
medium ejus fuit transitus intra murum, inferius et superius,
et rupes, supra quas murus fundatus est, in multis locis
erant arte quadratae, supra quas turres steterant. Ab illa
enim parte fuit civitas bene munita, quia ibi potest melius
impugnari (226 A), unde Saladinus, rex Egypti, ab illa
parte civitatem cepit ultimo de potestate et de mani-
bus Christianorum anno 1187. Ulterius in processu ve-
nimus ad portam Ephraim vel sancti Stephani, quae est
juxta angulum orientalem, in quo murus aquilonaris jungitur
muro orientali. Porro murus ille orientalis non habet ante
se fossatum, sed vallem Josaphat, supra quam in alto est
deductus, et licet sit semita parva ab angulo orientali usque
ad angulum muri australis ad latus muri orientalis supra
vallem, non tamen ausi sumus continuare circuitonem per
semitam illam propter Sarracenorum coemeterium, quod ante
portam auream est, per quod transire nobis non licuit, nisi
ingenti periculo nos exponere voluissemus, ut patet fol. 82 A.
et 141 B. Derelicta ergo semita illa ab angulo descendimus
per praeceps in vallem Josaphat, usque in torrentem Cedron,
per quem descendimus habentes montem templi et civitatis
ab uno et montem Oliveti ab alio latere, et pervenimus usque
ad radices montis Syon in vallem Siloae, ibi autem conver-
timus nos ad occidentem, et per vallem, quae dividit montem
Syon a monte Acheldamah et Gyon, adscendimus usque ad
agrum fullonis, ubi incepimus circuitum, et per portam pis-
cium ingressi sumus civitatem sanctam, et cum dominis peregrinis

Ende

Anfang

